

13 mentisque cum equite relictis et maxima parte peditum, ipse
cum expeditis, acerrimo quoque uiro, raptim angustias euadit
iisque ipsis tumulis quos hostes tenuerant consedit.

33 Prima deinde luce castra mota et agmen reliquum incedere
2 coepit. Iam montani signo dato ex castellis ad stationem
solitam conueniebant, cum repente conspiciunt alios arce
occupata sua super caput imminentes, alios uia transire
3 hostes. Vtraque simul obiecta res oculis animisque immo-
biles parumper eos defixit; deinde, ut trepidationem in
angustiis suoque ipsum tumultu misceri agmen uidere, equis
4 maxime consternatis, quidquid adiecissent ipsi terroris satis
ad perniciem fore rati, peruersis rupibus iuxta, inuia ac deuia
5 adsueti decurrunt. Tum uero simul ab hostibus, simul ab
iniquitate locorum Poeni oppugnabantur plusque inter ipsos,
sibi quoque tendente ut periculo primus euaderet, quam cum
6 hostibus certaminis erat. Et equi maxime infestum agmen
faciebant, qui et clamoribus dissonis quos nemora etiam
repercussaeque ualles augebant territi trepidabant, et icti
forte aut uolnerati adeo consternabantur, ut stragem ingentem